



 C A P U T VI.

VINDOBONAM, vel Favianam nunquam penitus interuisse, vel ad unam Venatorum domum Pirkhoff, nunc Berghoff, redactam esse, saltem per longius tempus, ostenditur contra Haselbachium, Lazium, & alios, ex brevi Chronico rerum VIENNAM maxime attinentium, usque ad Carolum Magnum, qui primos Marchiæ Orientalis Comites instituit.

VINDOBONAM, dein FAVIANAM usque ad A. C. 488. perstitisse ex allatis hætenus didicimus: post ruinam vero, quam Romani intulerunt, restitutam perdurasse etiam reliquo tempore, usque ad HENRICUM JASOMIRGOTT ex brevi rerum hujatum Chronologia manifestum fiet.

Romanis ODOACRI jussu Anno 488. in Italiam deportatis FAVIANAM, fedesque alias incolis suis viduatas LONGOBARDI occuparunt, tenueruntque ad annum usque 568.

Sub his urbem nostram ad pristinum florem rediisse, antiquo magis noto, corrupto jam tamen VINDOBONÆ nomine, testatur JORNANDEZ, qui vixit circa Annum Christi 550. Pannoniam enim dicit: *Patriam ornata-*
tam



tam civitatibus plurimis, quarum prima SIRMIS, extrema VINDOMINA. Vide HANSIZIUM T. I. c. II. pag. 50.

Anno C. 568. Longobardi Italiam petentes has terras cedunt HUNN-AVARIBUS, belli fociis.

Anno C. 622. a VINDIS, tunc SLAVIS dici coeptis, HUNN-AVARES hic locorum in arctum coguntur; unde paulo mitiores facti sunt.

Anno C. 649. S. EMERAMUS ad convertendos Avares in Pannoniam descendere parat; sed THEODO I. Bavariae Dux, iter dissuadet; non ob ferociam Avaram, sed propter terras, per priora cum Avaribus bella vastatas, & infestas feris vias. CALLES. T. II. *Annal. Eccl. Germ. pag. 40.*

Anno 698. S. RUPERTUS sub THEODONE II. Bavariae Duce, conscensa Ratisbonae navi, in Pannoniam inferiorem animarum causa descendit. Sub Pannonia inferiori hic intelligenda ea PANNONIAE vel CARANTANIAE pars, quae DRAVO, ac SAVO vicina; hoc enim nomine significabatur eo tempore, quo Autores primi de S. RUPERTO scripsere. Unde MS. Rubeae Vallis ab HENSCHENIO, & PAPEBROCHIO adductum recte ait: RUPERTUM Ratisbona Laureacum usque navi vectum, dein terrestri itinere, transceso monte altissimo, Mons Durus (puta HARDBERG) appellato, Wandalis, seu potius Vinidis praedicasse. CALLESIIUS T. II. *Annal. Eccl. Germ. p. 122.*

Notit. Vindob.

D

An-



Anno 737. LAUREACUM ab Avaribus evertitur.

Anno C. 783. S. VIRGILIUS Salisburgensis Episcopus animarum Deo adducendarum causa in Pannoniam descendisse dicitur: sed rectius tum de eo, tum de ejus discipulis id negat HANSIZIUS T. II. pag. 92. &c. CALLESIIUS T. II. Annal. Eccl. Germ. p. 452. subdubitat.

Quantumvis autem, nec S. RUPERTUS, nec S. VIRGILIUS Urbem nostram accesserint, sub S. VIRGILII tamen tempora VIENNÆ Ecclesia in memoriam S. RUPERTI constructa est. Testatur id communis sensus de templi hujus vetustate, & confirmat Poëta Rhythmicus, qui scripsit sæculo XIV. citatus apud LAZIUM Rer. Vienn. L. 2. c. 2. Nec aliud tempus assignari commode potest: hoc autem tempore non tam ferè amplius Avars erant; ut non aliquid Christianæ Religionis inter suos admitterent; utpote CAROLUM Magnum metuentes, THASSILONI autem Bavarix Duci faventes. Certe de duabus Ecclesiis urbis nostræ, jam prius ædificatis post 20. annos mentionem reperies.

